Dixit ergo nobis, primum sibi esse impossibile propter tenuitatem suae substantiae; secundum intolerabile; tertium horribile. Impetravimus autem ei libertatem a Tanguardino, ut catenatus incedere posset in curia et aliqui milites pecuniam sibi participaverunt, qua se redemit. Hunc postea liberum in Alexandria deambulantem vidimus. Deinde in alium carcerem venimus, in quo sedebat quidam moestissimus juvenis, per omnia modo sarracenico vestitus, qui fidem quidem Christi abnegaverat et circumcisionem acceperat, sed ad poenitentiam conversus ad Tanguardinum confugit et apud eum absconditus mansit inclusus, quousque sine nota pateret sibi descensus in Alexandriam, a qua in Cataloniam, unde fuerat, remeare posset per mare. Quendam alium juvenem invenimus, de Genua, qui Mamalucus factus fuerat et cum Tanguardino de reditu tractatum habuit. Hic cum vidisset nos, prorupit in lachrimas prae laetitia, videns signatos nos esse cruce, et accurrens in amplexus nostros cecidit et cruces vestimentorum nostrorum deosculabatur et magnis gemitibus ad partes fidelium adspirabat, optime autem latinum loqui novit, cum quo saepe posthac collocutionem habui et multa ab eo didici de vita Sarracenorum, Mamalucorum et sub lege Machometi degentium, de quibus enormia et inhumana, quae non licet homini loqui, audivi.

Post hoc egressi sumus in curiam et ibi vidimus unum saevissimum leopardum, catena alligatum, ad quem suus magister solus accedere ausus fuit, cum baculo tamen, cum minis et clamoribus. Est enim leopardus bestia saevissima, de leonis et pardi adulterio nata, colorem habens varium ut pardus et caput, cauda vero et pedibus leoni assimilatur; est alias praeceps, sitiens sanguinem et bestia fera, quae quidem aliquando domesticatur, sed numquam ad plenum, ut suae crudelitatis obliviscatur. Domesticatur autem ad venationem. Itaque cum ad praedam in venatione ducitur et relaxatur, tunc saltando, non currendo, praedam insequitur, quam si quarto vel quinto saltu capere nequiverit, ferociter iratus subsistit et nisi statim venator furenti bestiam aliquam obtulerit, cujus sanguine placetur, mox in ipsum venatorem vel in quoslibet obvios irruit, nec potest placari nisi sanguine. Ideo venatores semper secum ducunt agnum, quem in hoc casu irato lacerandum tradunt, ut placetur. Ungues habet acutissimos, venenosos, similiter et dentes diabolicos habet et non tantum periculum

037
035
041
031
046
026
086
136
536
Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;